OBSERVATIONES AD L. 3. D. DE BONIS EORUM QUI ANTE SENTENTIAM SIBI MORTEM...

Christoph Ludwig Crell, Karl Rudolph Westhoff, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

I

Περὶ Αὐτοχειρίας

AFfirmarem, peſſime illos Themidi cupere, & noſtrae arti invidere, qui Jureconſultos veteres accuſant, quaſi licentius DE SVI IPSIVS CAEDE philoſophati ſint, illorumque conſilia probarint, qui taedio vitae & impatientia doloris mortem ſibi conſciverunt: Immo vero temere hos accuſatores, & audacter, illa criminatione in veteres legum interpretes uſos fuiſſe affirmarem; niſi Vir ſummus, CORNELIVS VAN BYNKERSHOEK, (a) eandem Jureconſultis accuſationem intendiſſet. Ait enim, fuiſſe jurisprudentiae veteris decretum: MORI LICERE, CVI VIVERE NON PLACVERIT; NISI QVIS MORI QVAM DAMNARI MALVERIT, OB CONSCIENTIAM CRIMINIS. Sed poſtea ſubjungit: generatim, cum quis vitae ſuae fructum & operas aliis obligaviſſet, prohibitum fuiſſe, ne quis manus ſuo corpori inferret. Quae an recte exiſtimata ſint, expediemus.

II

DE CIVIBVS ET MILITIBVS QVI MANVS SIBI INTVLERVNT

Antiquiſſimis quidem temporibus non de omnibus officiis Legislatores Romani praeceperunt; ſed de illis inprimis, quae erant

(a) Bynckershoek. Obſervat. Jur. Rom. L. IIII. c. 5.

Digitized by Google

erant MANIFESTA, & quae ſi intermitterentur, neceſſe erat, directo laedi aliorum commoda, & ſociorum utilitatem interverti, ad quam promovendam augendamque ſuo ſe facto quodam obligatorio cives obſtrinxiſſent. Cetera propemodum cujusque pudori & verecundiae permittenda eſſe arbitrati ſunt; cum non videretur libertas hominum ingenuorum pati poſſe, ut Legislatores plura ab ipſis exigerent, aut obligationes novas ipſis imponerent, quas non ſuo quisque facto aliquo, & conſenſu, minimum ficto, & praeſumtò, contraxiſſet. Hujus ſententiae, poſtea correctae, in §. II. I. de oblig. veſtigia quaedam deprehendis; cum affirmet Imperator: omnes vel ex contractu aut maleficio, vel quaſi ex contractu, aut maleficio, quo alter directo laederetur, obligationes & officia civilia enaſci. Eodem igitur modo de illis, qui mortem ſibi conſciverant, conſtituendum eſſe crediderunt: Vt cujusque conſcientiae, & judicio, relinquerent, an manus ſibi inferre vellet, ſi illud ſine cujusquam incommodo fieri poſſe videretur. Non quidem, mea ſententia, quod probarent, illud factum eſſe; ſed quia haec talia prohiberi non poſſe civilibus praeceptis, ſed illis de ſola injuria alteri illata, deque officiis manifeſtis, ad quae ſervanda facto obligatorio, quod dicunt, & conſenſu ſuo ſe quilibet obſtrinxerit, certi aliquid definiri poſſe arbitrarentur. Contra vero, ſi quod in cujusquam vita momentum verſaretur, quod ad amplificanda aliorum commoda, quorum ille procurationem facto quodam ſuo ſuſcepiſſet, omnino pertineret; Tunc ſubinde, ſi quis vitam morte voluntaria finiret, rem exempli eſſe cenſuerunt. Hinc Tarquinius Priſcus, quod Vir Cl. van BYNKERSHOEK ex PLINIO (a) obſervat, cum Quirites ſibi mortem conſciſcerent non alia ex cauſſa, quam ut operas, quas juſſerat, evitarent, & ſe reipublicae ſubtraherent; omnium ita defunctorum fixit crucibus corpora, ſpectanda civibus, ſimul & feris volucribusque laceranda. Videbantur enim cives, cum in civitatem congreſſi ſint, praeſtandarum operarum & obſequii neceſſitatem ſuo ſibi facto

(a) Plin. Hiſt. Nat. XXXVI. 15.

Digitized by Google

facto aliquo inpoſuiſſe. Poſtea placuit: nec militibus ignoſcendum eſſe, qui armorum ferendorum officium, de quo praeſtando fidem ſacramento obligaſſent, morte voluntaria eludant, & praevertant. Docet enim ARRIVS MENANDER L. VI. §. 7. D. de R. mil. Hadrianum Imperatorem reſcripſiſſe: Militem, qui ſine cauſſa ſe vulneraverit, aut mortem conſciverit, capite videri puniendum; Prorſus ex eadem ratione ex qua veteris diſciplinae rigor ab illis, qui fugam fecerant, conſpicientibus militibus, & a caligatis, id eſt gregariis, (a) qui metu hoſtium languorem ſimulaverant, propter exemplum, capitis poenam ſumſerat d. L. VI. §. 3; Contra, ſi quis taedio vitae, aut morbo, aut furore, mori maluerit, aut impatientia doloris, non animadvertendum quidem in militem, quia inutilis & inidoneus videretur; ſed illum tamen ignominia mittendum eſſe: Cum respublica recte ab illo exigeret, ut etiam vitae taedium, & luctum, & dolorem, vinceret civium cauſſa & patriae, cui operam & animos & vires omnes dicto jurejurando obſtrinxiſſet. Ita etiam PAVLLVS L. XXXVIII. §. ult. D. de poen. diſputat. Igitur cauſſa reipublicae in militis vita, quam patriae obligaverat, verſari credebatur: ut ipſi omnino parci non poſſet, ſi vel temere, ac ſine cauſſa, vel taedio vitae, & praecipitis animi fervore, manus ſibi intuliſſet; ſed vel poena capitis vel ignominia coercendus videretur. Exiſtimat V. C. van BYNKERSHOEK, huic ſententiae obſtare VLPIANVM, qui L. VI. §. 7. D. de injuſt. rupt. cenſuit, valere teſtamentum militis, qui taedio vitae, vel dolore, mori maluerit, ſi ex illo facto perpetrato deceſſiſſet; Cum tamen illorum qui ignominia miſſi ſunt, teſtamenta deſinant valere, ſi MACRVM L. XXVI. de teſt. milit. diſputantem audiamus. Sed res ſalva eſt, & bene haec cohaerent. Neque enim illa ratione priora evertuntur, aut evincitur, impune militi fuiſſe, qui taedio vitae mortem conſciviſſet. Enimvero plerorumque militum, etiam illorum, qui ex delicto militari damnati, & ſententiam paſſi fuerant, teſtamenta ſervata

(a) Ita Torrentius interpretatur ad Suet. Aug. 25.

vata ſunt, teſte eodem VLPIANO L. VI. §. 6. D. de injuſt. rupt. & porro L. XI. pr. D. de teſt. milit. Familiare fuit Romanis, teſtamenta militum, quibus infirmatis non tam ipſis, quam heredibus illorum nocebatur, ſemper, niſi graviſſima cauſſa intercederet, jure militari ſuſtinere. Praeterea miles, qui, ſi viveret, ignominia duntaxat mittendus eſſet, in ipſa morte ſatis ſupplicii, cui exſequendo manus ſuas ipſe commodaverat, habere videbatur. Nunquam igitur veteres militi in ſe ipſum ſaevienti ignoſcebant.

III
SERVI IN CORPVS SVVM SAEVIENTES

Non multo aliter in ſervis obſervatum, qui & ipſi vitam propemodum non ſuo arbitrio, ſed ex voluntate domini, agebant, ſuique corporis occiſione heri patrimonium exhauriebant. Nec tamen in ſervis fere, qui rerum magis, quam perſonarum, loco habebantur, quantum deliquerint, ſed quantum domino illorum caede noceretur, aeſtimatum eſt. Hinc SERVVS MALVS veteribus videtur, qui aliquid fecit, quo magis ſe rebus humanis extrahat, ut puta: Qui laqueum torſit, vel venenum pro medicamento bibit (ita enim legendum eſſe docet van BYNKERSHOEK) praecipitemve ſe ex alto miſit, vel aliud quid commiſit, quo facto ſperavit ſe ad mortem perventurum. Sic VLPIANVS praecipit L. XXIII. §. 3. D. ad Aedil. edict. quia non nihil in alios auſurus videatur, qui hoc adverſus ſeipſum auſus eſt. Ergo nec ſervus probabatur, qui cum ſe & ſua omnia domino deberet, ejus patrimonium labefactavit, corpore ſuo vulnerato, aut occiſo. Sed inſtat v. c. van BYNKERSHOEK: ita tamen philoſophatos fuiſſe veteres, ut ſervis NATVRALITER LICERE exiſtimaverint, ſaevire in ſuum corpus. VLPIANVS enim L. IX. §. 7. D. de pecul. ſi ipſe ſervus, inquit, ſe vulneraverit, non debet dominus hoc damnum de peculio deducere; non magis quam ſi ſe occiderit, vel praecipitaverit: LICET ENIM SERVIS NATVRALITER IN SVVM CORPVS SAEVIRE. Pignore certares, ita viſum eſſe Ulpiano, quod NATVRALITER, id eſt, ratione & IVRE NATVRALI cui-

Digitized by Google

vis liceat vim ſuo corpori inferre. Et videntur ſatis in illa lege praeſidii habere, qui Jureconſultos accuſarunt. Sed nolim ita haec verba a legum interpretibus perverti. Nihil dixiſſet VLPIANVS, ſi dixiſſet, ſervis NATVRALI IVRE hoc licere, ut in ſuum corpus ſaeviant; cum de IVRE CIVILI quaereretur, & an liceret domino damnum ita acceptum de peculio deducere ſecundum civilia praecepta. Aut omnia me fallunt, aut verba illa, quod SERVO NATVRALITER LICEAT, non de IVRE NATVRALI, ſed de STATV ſervi accipienda ſunt. Servitutem enim CONTRA NATVRAM eſſe veteres credebant §. II. J. de jur. perſ. ut NATVRALITER, niſi inſtituto gentium introducta eſſet ſervitus, nemo eſſe ſervus videretur. NATVRALITER igitur ſervo, id eſt, ſi non eſſet ſervus, nec vitam & vires ſuas domino deberet, ſi de ipſo tanquam homine libero ſtatuendum eſſet, liceret ſaevire in corpus ſuum. Sed liceret, NON NATVRALI IVRE, ſed CIVILI duntaxat, quod pronunciaverat: hominibus liberis, ſi velint permitti, ut, ſine cujusquam damno directo manus ſuis viſceribus inferrent. Quaſi dicat VLPIANVS: nihil hoc loco inter hominem liberum, & ſervum, intereſſe, ſed propter eandem cauſſam, qua liberis permitteretur jus αὐτοχειρίας, illud etiam ſervis eſſe concedendum, civilibus praeceptis. Sed IVS CIVILE homini libero, in ſe ſaevire non ita permiſerat, quaſi PROBARET hominis furorem, qui ſecum ipſo capitalem controverſiam exercuiſſe videbatur: Neque, ut recte illum, aut ex NATVRALI RATIONE agere pronunciaret; ſed quia jus civile olim de illis duntaxat actionibus hominum liberorum diſpoſuerat, quarum OFFICIA ſemper MANIFESTA eſſent, & quibus alter directo laedi poſſe videretur. INCERTVM credebant, ſi quis ſibi manus intuliſſet, quo caſu eſſet illud perpetratum; ſed non magis illud certum in ſervis, de quibus hac in cauſſa idem, quod in hominibus liberis, conſtituendum eſſe arbitrabantur. Vt igitur totam VLPIANI argumentationem intelligas; ita haec accipienda ſunt. Quaerebatur, an dominus qui de peculio ſervi conveniebatur, deducere poſſet de peculio pretium ſervi, qui ſe ipſum occidiſſet, aut praecipitaſſet. Negat VLPIANVS: quia ſervo NATVRALITER, hoc

eſt,

Digitized by Google

eſt, ſi liber eſſet, uti omnibus hominibus liberis, impune liceret, jure civili duntaxat, in ſua viſcera ſaevire. Cum enim liberi homines qui ſibi mortem conſciverant, ex hac cauſſa puniri non poſſent, quia INCERTVM erat, deliberato, an caſu, aut per furorem, atque impotentiam ſe occidiſſent; Ne de ſervo quidem aliter habendum; neque dici poſſe, quod ſervus hoc nomine domino aliquid debeat: quia forte citra conſilium animi, caſu, aut furore, vitam finire potuiſſet. Adeoque hanc ſervi mortem, aeque ac liberorum hominum, non ad damna maleficio ſervi data, ſed fere ad caſus fortuitos, & ad fatalia damna pertinere: quae cum ſolus dominus ſentire debeat, ex peculio, quod creditoribus obligatum erat, deduci non poſſe videbantur. Alii NATVRALEM hanc LICENTIAM de FACVLTATE NATVRALI interpretati ſunt, ac ſi VLPIANVS dixiſſet; ſervo PER VIRES CORPORIS licere, ut ſaeviat in corpus ſuum: NATVRAM ſervis duas manus aeque, ac liberis hominibus, dediſſe, quas poſſent in ſe ipſos convertere. Hoc damnum a domino caveri non poſſe, adeoque ſervorum pudori relinquendum eſſe, ut recte de ſuo corpore ſtatuant. Quamcunque interpretationem acceperis; illud tamen Dominus van BYNKERSHOEK nunquam ex hac Lege eliciet, quod ſibi finxerat juris civilis decretum; LICERE HOMINI MORALITER ET NATVRALI RATIONE MORTEM SIBI CONSCISCERE.

IIII
DE ILLIS QVI MORTEM SIBI ANTE SENTENTIAM CONSCIVERVNT

Tunc igitur demum civili jure in αὐτόχειρας animadverſum eſt, cum vita illorum & operae aliis eſſe obligatae viderentur. De illis videamus, quibus ſententia capitalis imminebat. Et hi enim, poſtquam poſtulati erant criminis, quaſi ex contractu, & propter utilitatem communem ſocietatis, vitam debebant reipublicae, donec vel abſoluti, vel damnati eſſent, & ab ipſis ſupplicium, propter exemplum, judicis auctoritate ſumeretur. Praeterea damnatione ſubſecuta etiam poſſeſſiones & bona in crimine capitali fiſco obſtricta erant, inque illum inferenda. Hoc CALLISTRATVS docet L. I. D. de bon. damnat. Igitur

Digitized by Google

tur ne illis quidem de vita ſua arbitrium omnino relinquendum eſſe videbatur. Sed olim quidem propter maximam in abſolvendis reis facilitatem veterum Prudentum, propterque heredum innocentium fauorem, illi, qui mortem ante ſententiam ſibi conſciviſſent, quamvis poſtulati, tamen bona ſua heredibus, excluſo fiſco, relinquebant. Quod miror a Jureconſultis me non inveniſſe obſervatum. VALERIVS MAXIMVS ejusmodi ſpeciem enarrat (a): Cajum Licinium Macrum virum Praetorium, Calui patrem, criminis repetundarum reum, dum ſententiae diriberentur, in Maenianum conſcendiſſe: Mox cum Marcum Ciceronem, qui id judicium coegerit, praetextam (quam ponere ſolebant Magiſtratus, cum damnationis ſententiam pronunciarent) ponere vidiſſet, miſiſſe ad eum qui diceret: ſe non damnatum, ſed reum, periiſſe, nec ſua bona haſtae ſubjici poſſe: Ac protinus ſudario, quod forte in manibus habebat, ore & faucibus coarctatis, incluſo ſpiritu poenam morte praecurriſſe: Illaque re cognita, de illo Ciceronem nil pronunciaſſe: Ita ingenii illuſtris oratorem & ab inopia rei familiaris, & a crimine domeſticae damnationis, inuſitato genere paterni fati vindicatum eſſe. Quondam igitur eludi ſententia publicationis poterat, ſi quis occuparet carnificis officium, & de ſuo corpore ſupplicium ſumeret. Poſtea intellectum, ita fraudem legibus fieri, & fiſco bona, quae poſt ſententiam publicanda eſſent, extorqueri; Hinc MARCIANVS L. III. D. de bon. eor. q. ant. ſ. duce PAPINIANO praecipit; Qui rei poſtulati, vel qui in ſcelere deprehenſi, metu criminis imminentis mortem conſciviſſent, illos heredem non habere. Nihil igitur ſentiebat poenae, qui ipſe ſuis manibus fatum ſuum occupaſſet. Ipſe enim reus ſibi non pepercerat, obieratque poenae publicae miniſterium. Et quamvis etiam in cadaver propter exemplum animadverti potuiſſet; ſatis tamen ipſum habere ſupplicii credebant. Id ferri poſſe non videbatur, quod voluntaria reorum morte fiſco eriperentur bona, poſt ſententiam damnationis publicanda. Igitur heredem

(a) Val. Max. IX. 12. n. 7.

Digitized by Google

dem non habebant; ſed bona inferebantur in fiſcum; Neque tamen ideo inferebantur, ut poenam PROPTER CAEDEM SVI a reo ſumerent; ſed ne fiſco nimirum fraus fieret voluntaria occiſione. Hunc fere in modum LIVIVS (a) affirmat, illos qui conſcientiae cauſſa elegiſſent exilium, abſentesque eſſent damnati, corporibus ſubtractis, bona tantum, quae publicari poterant, poenae pigneranda praebuiſſe. Quia igitur non de poena *αὐτοχειρίας*, ſed de fiſco non defraudando, agebatur: bona illius, qui mortem ſibi conſciverat, non publicata ſunt, niſi ob crimen, propter quod, etiam damnatione ſubſecuta, morte aut deportatione afficiendus eſſet reus, & bona in fiſcum inferenda. Ita idem MARCIANVS d. L. III. §. 3. rem definivit. Hinc ſi furti reus ſibi manus intulit, bona non publicanda ſunt, quia ipſi non adimerentur, ſi compertum in ipſo furtum fuiſſet. Sed nondum JCti ſubſtiterunt; nec ſufficiebat, dignum bonorum publicatione crimen ab illo perpetratum eſſe, qui in corpus ſuum ſaevierat. Deſiderarunt, ut reus etiam ejus POSTVLATVS eſſet, aut in ſcelere omnino deprehenſus, antequam mortem voluntariam obiret. De SOLO enim CONSILIO FRAVDIS quaerebatur, ab illis inito, qui ſententiam & bonorum publicationem morte praevertere volebant. Hujus nulla erat certa ſuſpicio, niſi intelligeretur, reum metu conſcientiae teneri quaſi confeſſum. Ait enim MARCIANVS pr. d. L. III. non facti ſceleritatem eſſe obnoxiam, ſed conſcientiae metum in reo velut confeſſo teneri: Ideoque, inquit, aut poſtulati ſint, neceſſe eſt, aut in ſcelere deprehenſi, ut, ſi ſe interfecerint, bona eorum confiſcentur. Imo vero ne omnes quidem, qui criminis poſtulati eſſent, aut deprehenſi in ſcelere, ex quo bona publicanda viderentur, bona amittebant; ſed illi demum, ex quorum morte poſſet probabili indicio cognoſci, illos veluti CONFESSOS eſſe crimen, cujus erant poſtulati. Igitur, qui taedio vitae, vel impatientia doloris alicujus, vel alio modo vitam finierat, habebat ſucceſſorem, ex reſcripto Divi Antonini, D. L. III. §. 4. & bona ejus ſervabantur; quia incertum erat, utrum conſcientia ſceleris, an alia de cauſſa, in ſuum corpus ſaeviiſſet.

(a) Liv. L. 29. c. 36.

Digitized by Google

Ex quibus rebus intelligitur, quam inique agant cum Jureconſultis, qui ex hac lege eliciunt, probaſſe veteres, & innocua cenſuiſſe illorum conſilia, qui taedio vitae, & impatientia doloris ſpiritum vitalem emiſiſſent. Audeo affirmare, nunquam hoc veteribus veniſſe in mentem. Neque enim hac lege agebatur, qua poena, reo mortuo, crimen *αυτοχειρίας* afficiendum eſſet, ſed an indicium conſcientiae, & criminis, cujus quis eſſet poſtulatus, ex voluntaria morte accipi poſſe videretur? qua in diſputatione illi, qui taedio vitae mortem conſciviſſent, rectius abſolvebantur: non, quod illos recte feciſſe quisquam judicaret; ſed, quia in his incertum erat, ex criminis & damnationis metu, an alia de cauſſa, manus ſibi intuliſſent.

V
POENA ILLORVM QVI SINE CAVSSA SE VVLNERAVERANT

Sed ut plenius intelligatur, veteres Jureconſultos, qui ſub Imperatoribus maxime vivebant, damnaſſe illorum conatus, eosque improbos, & inconſultos cenſuiſſe, qui mortem ſibi ipſis conſciviſſent; audiamus MARCIANVM d. l. III. §. 6. D. de Bon. eor. qui ant. ſent. de illo, qui manus ſibi intulit, ſed nondum illud factum perpetravit, diſputantem. Cum quaeritur, inquit, an is, qui manus ſibi intulit, & non perpetravit, debeat puniri, quaſi de ſe ſententiam tulerit? omnino puniendus eſt; niſi impatientia doloris, vel taedio vitae coactus ſit hoc facere. Et merito, ſi ſine cauſſa hoc fecit, puniendus eſt: qui enim ſibi non pepercit, multo minus alii parcet. Audis igitur, PVNITOS, qui ſibi ſine cauſſa manus intuliſſent; ſed eadem de cauſſa, ad quam contendebant omnia civilia praecepta: quia nimirum alios vel laeſiſſe, vel laeſurus eſſe, videretur, qui ſuo corpori non pepercisſet. Neque tamen haec veterum ſeveritas Illuſtri Domino V. BYNKERSHOEK perſuaſit, ut Jureconſultos ab illa macula abſolveret; quos credidit patrocinari illis omnibus, qui ſibi mortem conſciviſſent. Ait enim, in illos duntaxat hac lege animadverſum eſſe, qui SINE OMNI CAVSSA manus ſibi auſi ſint inferre. Sed quamlibet omnino cauſſam Jureconſultis ſufficere, ad reum excuſandum; ut locus huic poenae vix eſſe poſſit, utque illa dicis cauſſa conſtituta eſſe videatur. Enimvero non ſolum TAEDIO

VITAE

Digitized by Google

VITAE, & impatientia doloris illum defendi, qui manus ſibi intuliſſet; ſed VLPIANVM etiam l. VI. §. 7. D. de injuſt. rupt. hanc excuſationem accipere, ſi quis, ut quidam philoſophi, JACTATIONIS cauſſa mori maluerit: & PAVLLVM, l. XLV. §. 2. D. de Jure Fiſc. ejus bona, qui PVDORE AERIS ALIENI ſeipſum occiderit, ſucceſſoribus relinqui voluiſſe: ſemper aliquid ejusmodi cauſſae obtendi potuiſſe: adeoque huic poenae locum fuiſſe nunquam: ſed faviſſe Jureconſultos hominibus, qui mortem ſibi auſi ſint afferre. Verum, huic dubitationi varie poterit occurri. Enimvero neutra lege abſolvuntur illi, qui mortem conſciverunt; ſed teſtamenta eorum valere juſſa ſunt. Male vero colligitur, illos omnino non notari, aut illorum conſilia probari, quorum teſtamenta ſervabantur. Supra enim traditum eſt, militis, qui mortem ſine cauſſa conſciverit, valere teſtamentum, quamvis ignominia mittendus cenſeretur. Igitur a ſervato teſtamento non ducitur argumentum ad impunitatem ſceleris probandam. Deinde, ſi dicamus, datam illis veniam ſceleris, qui jactationis, vel pudoris cauſſa mori maluerint; illud non alia de cauſſa factum eſſet, quam quia furoris quadam ſpecie excuſari viderentur illi, qui tantum facinus ex talibus cauſſis perpetraſſent, in quas nemo ſanus incidere potuiſſe videretur. Imo vero faciamus impunitatem omnino conſecutos, qui ſcientes, & ſani, taedio vitae, aut pudore aeris alieni vitam finire voluiſſent; nondum inde confectum eſt: probaſſe, & laudaſſe Jureconſultos illud facinus, quod venia dignum cenſuerunt. Multa, ut eſſet locus experiendae atque comprobandae virtutis, civium pudori relicta ſunt: & illa officia inprimis, quae interdum in incerto verſarentur; aut ad quae nullo nos facto obligatorio obſtrinxerimus. Illud ſupra a nobis diſputatum eſt. D. Marcus reſcripſit: eum heredem, qui prohibet funerari ab eo, quem teſtator elegerit, NON RECTE FACERE: poenam tamen in eum conſtitutam non eſſe. l. XIIII. §. 14. D. de Relig. Et LAVDANDVS eſt, ſecundum VLPIANVM l. I. §. 3. D. de Pericul. & Commod. rei vendit. venditor, qui poſtquam denunciavit emptori, ut vinum tollat, vel ſciat futurum eſſe, ut effundatur, tamen non effudit vinum, quod impune effundi potuiſſet. Nota eſt Lex Cincia, cui non alia

ſanctio adjecta, praeter hanc unam: qui ſecus fecerit, illum improbe facturum. Cave igitur, ex IMPVNITATE LAVDEM conjicias, aut exiſtimes, illa continuo probari, quae nulla poena civili coercentur.

VI

QVID STOICI ET ROMANI SENSERINT περὶ ἀυτοχειρίας

Sed nondum V. C. van BYNCKERSHOEK quieſcit. Ait enim, Jureconſultos de SVI IPSIVS CAEDE ſtoice philoſophatos, illudque etiam CVIACIVM aliquando obſervaſſe: Hinc trahi ſuſpicionem, Jureconſultos Stoicorum exemplo credidiſſe, quod ILLI MORALITER MORI LICEAT, CVI VIVERE DISPLICVERIT. Sed ne Stoicorum quidem diſciplina, cui Jureconſultos pleroſque omnes operam dediſſe conſtat, in ſuſpicionem adducent legum interpretes, ut illos faviſſe hominibus inconſultis, qui mortem ſibi conſciverunt, arbitremur. Enimvero quamvis Stoici interdum ſapienti licere crediderint, mortem eligere; tamen vel ignoverunt magis illi ignaviae, & temeritati, quam ut illam probaſſe videantur; vel certe plerique illorum in illo argumento fluctuarunt, & in lubrico verſati ſunt, incerti, quo ſe ſint conſilio expedituri. SENECA mirifice imbutus Stoicorum diſciplina, modo poteſtatem hanc facit ſapientibus, ut de vita ſua ipſi conſtituant; modo (a) vivendum bono viro affirmat, non quamdiu juvat, ſed quamdiu oportet: Illum, qui non uxorem, non amicum, tanti putet, ut diutius in vita commoretur, quique perſeveret mori, delicatum eſſe: Nefas videri ſi quis ſibi omnino mori cupiat: Sed & ſi coeperit, illum tamen intermittere debere, & vitam ſuam ſuis commodare: Omnes dolores animi obſtinatione vinci poſſe, & cum primum maximi fuerint, illos vel remittere, vel deſinere. Atque idem etiam alio loco: (b) ſapiens aliquando, inquit, etiam ſi certa mors inſtabit, & deſtinatum ſibi ſupplicium ſciet, non manus ſuas poenae commodabit. Venit qui occidit: Exſpecta; quid occupas? Quare ſuſcipis alienae crudelitatis procurationem? Vtrum invides carnifici, an parcis? Idem denique rurſus alibi: (c) Dementiam eſſe, ſi quis timore mortis cogatur ad mortem: Virum fortem non debere fugere ex vita, ſed

(a) Seneca ep. 104. (b) idem ep. 70. (a) idem ep. 24.

Digitized by Google

ſed exire, & ante omnia vitandum eſſe affectum, qui multos occuparit: LIBIDINEM MORIENDI. Ita SENECA philophatus eſt. Sed MARCUS AURELIUS ANTONINUS (a) hujus Philoſophiae ſapientiſſimus interpres, ſi conſtaret Deos non eſſe, aut rerum illos humanarum curam non gerere, tunc demum mori ſe malle, quam vivere: τὶ μοι ζῆν ἐν κόσμῳ κενῷ θεῶν, ἢ προνοίας κενῷ. Sed ſcire ſe, quod certe Dii ſint, illorumque providentia humanae res adminiſtrentur. Vides igitur, ne inter ſtoicos quidem de illo argumento conveniſſe, ſed pleroſque laudaſſe magis illos, qui vivere perſeverent, atque obdurent in dolore. Sed largiamur, ita Stoicos ſenſiſſe; nec tamen hoc tibi idoneam cauſſam dederit Jureconſultos criminandi. Nunquam Jureconſulti ſacramentum Stoicis dixerunt, quanquam ipſis obſecuti ſint in multis. Non pauca etiam a reliquis ſectis ſubinde commodarunt. Praeterea non fuerit probabile ad fidem: ſolos nimirum Jureconſultos περὶ αὐτοχειρίας benignius ſcripſiſſe, cum tanto populi Romani univerſi, qui αὐτόχειρας odio habebat, conſenſu vincerentur. In conſilium adhibeamus DIONEM CASSIUM, ita de populo Romano verba facientem: (b) τοὺς τοῦ θανάτου καταφρονοῦντας ὡς καὶ καλὸν ἄν τι ὑπ' ἀνοίας τολμήσαντας ὑποπτεύουσι πάντες, καὶ μισοῦσιν. Qui vitam ſuam projiciunt, & tanquam ex inſania magnam ſe rem tentare credunt, illos reliqui omnes ſuſpectos, odioque habent; ut intelligatur deteſtatos fuiſſe Romanos illorum ſegnitiem, qui mori maluiſſent. Si Poetas non contemnis, audiamus MARTIALEM de moribus populi tradentem (c)

Quod magni Thraſeae, conſummatique Catonis
  Dogmata ſic ſequeris, ſalvus ut eſſe velis:
Pectore nec nudo ſtrictos incurris in enſes;
  Quod feciſſe velim te, Decimane, facis.
Nolo virum, FACILI REDIMIT QUI SANGUINE FAMAM,
  Hunc volo, laudari qui ſine morte poteſt.

Sed idem etiam alio loco: (d)

Hoſtem cum fugeret, SE Fannius IPSE PEREMIT.
  Hic rogo non furor eſt? ne moriari mori.

(a) M. A. Anton. εἰς ἑαυτὸν lib. II. §. 11. p. m. 23. (b) Dio Caſſ. lib, XLVI. p. 353. edit. Stephan. (c) Martial. lib. I. epig. 9. (d) idem II. 80.

Sed & ipſi Jureconſulti L. IX. §. 7. D. de pecul. & alibi ſaepius SAEVITIAM appellant, ſi quis in corpus ſuum aliquid committat. Nemo ſanus SAEVITIAM probabit. Quam qui Jureconſultos probaſſe exiſtimat, nae! ille veteres alienos credit, ab omni ratione & officio humanitatis. Cujus rei accuſationem nemo inſtruet ex legibus Romanis.

VII
LEX NATVRALIS αὐτοχειρίαν QVAM FINGVNT INNOCENTEM DAMNANS

Accepiſti, quid viſum fuerit veteribus Jureconſultis. Sed de ratione naturali videamus. Huic ſi obtemperes, obdurandum eſt in doloribus: nullusque locus dabitur temeritati inconſultae, qua poſſis in tua viſcera ſaevire. In quam qui ſponte prolapſus fuerit, illum, quemcunque demum neceſſitatis titulum obtendat, auſum eſſe facinus nefarium & exſecrandum judicamus. Quae ut intelligantur, accipe breviter rem totam:

I) Omnes, qui vivimus, ideo hunc ſpiritum, hos artus accepiſſe ſciendum eſt, ut numinis infiniti amplificemus gloriam, & majeſtatem celebremus, ejus fines & mandata exſequamur: Deinde, ut utilitatem communem, quantum in nobis eſt, promoveamus, & commoda ſocietatis univerſae animo amico procuremus. Ad haec officia nati ſumus & editi, ad haec ab ipſa natura comparati.

II) Harum rerum tanta eſt gravitas, ac pondus, momentumque in illis tam arduum verſatur, ut ſola ſpes, vel POSSIBILITAS, quam Philoſophi appellant, finis alicujus divini exeſequendi, det nobis idoneam exſpectandi cauſſam: Vt ſi quid poſitum ſit in noſtris viribus, quod vel POSSIT TANTVM ad colenda illa officia accommodari, & ſi quid ſuperſit nobis, quod vel ALIQVANDO DVNTAXAT, etiam citra ſpem & exſpectationem, ullo modo gloriae numinis ac voluntati POSSIT inſervire, aut ſociis prodeſſe; Hoc ſolum ſatis cauſſae ſit, cur magno ſtudio & contentione quaeramus occaſionem rei pie & e ſocietatis commodo gerendae: utque nullis doloribus, ne quidem maximis, nullis moleſtiis parcamus; ſed eo omnem curam atque cogitationem convertamus. Enimvero, cum etiam in rebus levioribus, quae tamen ſint momenti alicujus, ſi POSSINT bona inſignia ſine magnis moleſtiis adqui-

Digitized by Google

ri, vel mala quaedam ſine magno incommodo caveri, SOLA POSSIBILITAS, quam dicunt, nobis officia imponat, quae vel in agendo poſita ſunt, vel etiam in abſtinendo; Tanto certius cum de finibus divinis exſequendis agitur, vel SOLA POSSIBILITAS utilitatis alicujus procurandae, nos obſtringet, ut vivamus.

III) Quapropter cum nunquam non, dum vivimus, & hunc ſpiritum ducimus, ſuperſit aliquid virium, quod POSSIT ad illa officia referri, atque vel ad Numinis gloriam, vel ad ſocietatis utilitatem accommodari; intelligitur, NVNQVAM FAS ESSE HOMINI VIVENTI, VT EMIGRET E VITA SVO ARBITRIO, aut feſtinet ad mortem obeundam, quam ſerius ipſi natura deſtinavit. Quod ſi enim omnia alia deficiant, VEL HOC SOLVM Numinis gloriae inſervit, QVOD VIVAT & EXISTAT Dei creatura, & per longum temporis ſpatium, etiam in doloribus, & incommodis maximis PERDVRET. Sed hoc ut fiat, ſemper eſt in noſtra poteſtate, donec natura diſſolvat corporis compagem.

IIII) Vir Cl. Andreas RIDIGERVS (a) ubi de jure naturali diſputat, ita de hac re philoſophatur; Si vita nobis nihil tale meritis,, mox ſit cum cruciatibus eripienda, quae interea neque nobis, ne-,, que aliis, vel minimum ſit utilis futura; fonte omnium virium ceſ-,, ſante, ceſſare omnem obligationem: (illam videlicet, quae enaſcitur ex LEGE NATVRALI: in qua ſecundum ejus ſententiam ſola OFFICIA ERGA SOCIETATEM tradenda ſunt; cum OFFICIA ERGA DEVM in THEOLOGIA NATVRALI ſeparatim pertractentur.)

V) Sed in hoc argumento ſe a RIDIGERO Praeſes nullo non tempore ſejunxit, abiitque in ſententiam diverſam. Enimvero, ne illis quidem ignoſcendum, qui cum jam CRVCIBVS FIXI SINT, & mortem praeſentiſſimam intueantur, inveniunt media, & adhibent, quibus vita citius, quam poſtulat natura, finiatur: ut qui talia auſus ſit, INIVRIVS etiam IN SOCIETATEM eſſe videatur. In ipſa enim cruce poterit prodeſſe ſociis vel ſolo exemplo moderationis, & obſequii, quo patitur ſententiam judicis, & optemperat voluntati imperantis; ut reliqui ad imitationem virtutis ejusdem evocentur.

VI) Sed faciamus, quod tamen nunquam largiemur, illos qui crucibus fixi ſint, aliquando non poſſe EXEMPLO ſociis prodeſſe; at NOCERE

(a) Inſtit. Philoſ. Pragmat. Edit. Lipſ. D. A. 1723. Sect. II. P. II. c. 2. §. 165. p. 148.

Digitized by Google

NOCERE tamen certe EXEMPLO poſſet, qui vitam in cruce citius, quam natura poſtularat, finiiſſet: quod ſolum ſi omnia alia deficiant, ſatis cauſſae eſt, cur ſibi temperet, dolores perferat, vitae finem, SOCIETATIS CAVSSA, patientius exſpectet.

VII) Denique fingamus: NE EXEMPLO QVIDEM illos NOCERE cuiquam poſſe, quod & ipſum credo nunquam accidet; ceſſante officio, quo ſocietati obſtringimur, DEO tamen certe, qui gaudet, rem ſuam exiſtere, & perdurare, PIETATEM ET PATIENTIAM debebunt: ut intelligatur, ad quam vim ſuſtinendam hoc corpus a creatore comparatum ſit, adverſus quos impetus munitum, ad quos dolores perferendos accommodatum: quid effici poſſit animi imperio, conſtantia, magnitudine in rebus adverſis? denique ut ſummo auctori orbis univerſi placeamus.

VIII) Videtur ipſe RIDIGERVS, cujus tamen cauſſam hoc in argumento Praeſes nunquam ſuſcepit, neque ſuſcipiet omnino unquam, agnoſcere, quod, quamvis nec nobis nec ſocietati prodeſſe, adeoque ab officiis ERGA HOMINVM SOCIETATEM abſolvi poſſe videamur; tamen PIETATIS IN DEVM ratio poſtulet, ut manus infeſtas a nobis arceamus. Ille enim poſt verba, quae ſupra recitata ſunt, paucis interjectis, in non diſſimili ſpecie, ita fere pergit: „Quod ſi vitam ſibi abrumpit, ille impius hoc ipſo in Deum „eſt, quod tantum bonum ingrato animo reſpuat: in ipſam vero „humanam ſocietatem minime eſt injurius„ Sed certius exiſtimamus, & ſupra a nobis demonſtratum eſt, NON DEO DVNTAXAT, ſed etiam SOCIETATI, vitam viresque noſtras omnes ad omnem utilitatem, quae unquam excogitari poſſit, procurandam omni tempore deberi.

NVNQVAM IGITVR VEL TAEDIO VITAE, VEL IMPATIENTIA DOLORIS, VEL PVDORE AERIS ALIENI, VEL JACTATIONIS CAVSSA, VEL TEMERE, ET SPONTE MORALITER LICET MANVS SVO CORPORI INFERRE.

Haec quamvis nota ſint, & per decem fere annos a Praeſide in utraque Academia Saxonum tradita, ejusque praecepta multorum in manibus verſentur; hoc tamen loco adducenda fuerunt ut ineptis aliorum obtrectationibus publica hac profeſſione noſtrae ſententiae antevertamus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

p. 2. not. (a) pro: Obſervat. Jur. L. IIII. c. 5. legas: L. IIII. c. 4.

Digitized by Google